



DISPUTATIO
EXHIBENS
PROBLEMATATA
QVAEDAM ANA-
TOMICA,

36
29
1664/13
1

Quam
ANNUENTE ARCHIATRO
COELESTI

SUB MODERAMINE
IOH. ALBERTI SEBIZII,
MEDICINÆ DOCTORIS ET
PROFESSORIS ORDINARIJ;

Dn. Præceptoris sui atque Patroni omni obser-
vantia colendi

PUBLICÆ

Respondendo tuebitur

IOH. CAROLUS HAMMERER,
ARGENTORATENSIS.

Ad d. 23. Mensis Decembr. Jan.

ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDELII ACADE-
MIÆ TYPOGRAPHI.

M. DC. LXIV.

15.

PROBLEMA

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

PROBLEMA

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM


CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM

CAUSAM





QUÆSTIO PRIMA.

Quonam motu cerebrum moveatur?



Overi cerebrum extrà omnem dubitationis aleam est positum. Hoc enim docet *Galenus cap. ult. lib. de organ. olfact. & cum eo Picothom. Laurent. horumq; imitatione recentiores alii.* Ostendit quoque id ipsum *avro. fia.* Effracto enim cranio detectisque meningibus, manifestus cerebri deprehenditur motus. Imò in recens natis ita conspicuè moveri cerebrum anteriùs observatur, ut ossa ipsa, quæ mollissima sunt, eo tempore moveantur. Sed qualis hic sit motus, naturalis, ne, an violentus, an animalis? disceptatur. Item, an sit totius cerebri? an partium? & si partium, an arteriarum? an meningum? an medullæ? controvertitur. *Galenus* namque *l. 4. de differ. pulsuum cap. 2.* ait, voluisse quosdam solas membranas pulsare: alios cerebri tantùm corpus: nonnullos & cerebrum, & membranas. Sunt, qui animales tantùm spiritus, non cerebri corpus moveri contendunt, id quod probant exemplo vertiginis: in qua omnia circumagi videntur ob turbulentum & inordinatum spirituum motum. Plerique credunt moveri cerebrum alieno motu, scilicet arteriarum, propterea, quòd motus ejus per vulnera non videatur diversus à motu arteriarum, qui tamen dissimilis aliquando conspiceretur, si cerebrum innata vi moveretur. *Nostra sententia est,* motum, quo cietur cerebrum, animale non esse, quia non situs est in nostra potestate: neque eundem excitare, aut inhibere neque intendere aut remittere pro libitu nostro illum possumus. Neque etiam vio-

A. 2

lendum

lentum esse credimus, quoniam secundum naturam se habet, & fieri solet in omnibus, quousque vivunt. Nullum autem violentum est diuturnum. Relinquitur ergo, illum merè naturalem esse, fierique à principio interno, non ab arteriis: sic enim aliæ quoque partes, & minores, & leviores cerebro, ad arteriarum suarum motum, lien imprimis, qui numerosas habet, atque effatu dignas arterias, moverentur: quod tamen dicere, esset ridiculum, sed vi quadam innata cerebriq; substantiæ medullari concessa, eum in finem, ut in dilatatione aër recipiatur pro spirituum animalium generatione & ventilatione: in contractione verò excrementa cerebri fuliginosa expellantur, spiritus purgentur, & deferantur à prioribus ad ultimum ventriculum.

QUÆSTIO II.

Num cranium propter oculos: an hi propter illud constructi?

Diligenter hîc distinguendæ sunt duæ quæstiones, quæ sæpiùs confunduntur. 1. Utrum caput oculorum, an cerebri causâ sit fabricatum: 2. Num caput propter oculos, an verò propter cerebrum in celsissimo sit positum loco? *Ad priorem* quæstionem respondetur: caput, sive cranium, solius cerebri gratiâ primariò constructum esse. Hujus enim veluti galea est, domicilium & propugnaculum. Cum enim cerebrum membrum sit nobilissimum, mollissimum, & in celsissimo loco, qui omnibus expositus est injuriis, collocari debuerit, meritò continens durum, firmum atque solidum, quale cranium est, requirebat. *Ad secundam* dicitur, caput situm obtinere editissimum, primariò quidem propter oculos: secundariò autem propter reliquorum sensuum commoditatem. Propter oculos quidem: quoniam oculi sunt veluti speculatores, qui cominùs atque eminùs salutaria & noxia videre debent: illa ut sequamur: hæc verò
ut fu-

ut fugiamus. Cùm ergò collocandi essent in loco celsissimo, in eodem etiam ponendum erat cerebrum: & per consequens etiam hujus continens, nimirum cranium. Ratio est: quoniam videndi vis requirebat nervos valdè molles & carios. Tales autem ruptioni fuissent obnoxii, si cerebrum longè ab oculis fuisset distitum. Breves ergò esse debuerunt, & propterea cerebro vicini. Propter aliorum verò sensuum commoditarem, quoniam vox ex alto auditur melius: olfactus quoque ascendentem vaporem commodius excipit, quàm descendentem. Addamus & rationem situs hujus tertiam: quia principes facultates ab alimenti officinis, ex quibus tetri odores, & crebri halitus suscitantur, plurimum distare debuerunt. Est ergò caput factum propter cerebrum: ut illius esset propugnaculum. Est verò situatum in loco eminentissimo, non propter cerebrum: sed propter oculos: qui celsum postulabant locum, & molles excavatosq; nervos: qui vicini esse cerebro tanquã principio suo debuerunt: ne si per longas irent vias, facile frangerentur. Oculi autem conditi sunt salutis & incolumitatis gratiã corporis totius, omniumque ejus partium: quoniam vident salutaria pariter & noxia: Illa ut persequamur: hæc verò ut declinemus & fugiamus.

QUÆSTIO III.

*Quanam sit causa mira aurium & palati,
lingue ac laryngis συμπαθείας?*

Σ *συμπαθείας* harum esse partium inde ostenditur: quoniam si scalpello auris tympanum vellicetur, sicca statim excitatur tussis: surdastri quoq; omnes ægrè loquuntur, & per nares vocem reddunt. Hujus verò *συμπαθείας* causæ sunt duæ; prior ad nervum refertur auditorium: posterior ad canaliculum quendam ab auribus ad palatum tendentem. Nervus

A 3

quin-

quintæ conjugationis varios ex se promit furculos : major in aurem & membranam exquisitissimi sensûs expanditur: & sonorum omnium species ad cerebrum defert : minor ad linguam & laryngem excurrit. Ob vasorum ergo communionem aurium & linguæ affectus faciliè communicantur. Hinc vellicatâ auris membranâ, tussis sicca oritur. Hinc surdi omnes ferè muti sunt, aut saltem ægrè loquuntur, affecto nervo auditorio, qui cum conjugatione septima implicatur. Canaliculus verò ille à secundo auris meatu cartilagineus est: & ad os palatumq; fertur. Ductus hic tùm expurgando aëri innato, & aurium recrementis emittendis dicatus est: tùm ut insitus aër novi aëris per os inspirati appulsi reficiatur: tùm ut aëri externo per auris foramen impetu irruenti per hanc viam aditus pateat. Ab ore igitur ad aures, & ab auribus ad os liberè meat remeatque aër: unde fit, ut benè audituri cohibeamus spiritum, ne inspirato aëre copiosissimo impleatur cochlea, & tendatur tympanum. Oscitantes verò sonos acutè non audimus, quia oscitatione ita distenditur & inflatur tympanum, ut sonos excipere nequeat. Quinimò scalpentes aurem, movemus salivam, eò quòd compressione illa sordium fiat expressio in ductum cartilagineum, & ab eo in linguam.

QUÆST. IV.

Cur luxatio maxilla inferioris apud Hippocr. sit lethalis?

Hippocrates lib. de articulis inquit, nisi inferior maxilla reponatur, periculum vitæ imminere, ob febres continuas & soporem torpidum. Ratio est: quoniam musculus temporalis tēdo in acutum maxillæ hujus processum, qui κορώνη dicitur, inseritur. Maxillâ autem luxatâ, distenditur & alteratur musculus ille: cujus distentio periculosa est: eò quòd cere-

cerebro sit vicinus, & maximam cum eo per inlignes nervos habeat communionem. Cùm igitur ambæ partes, tendo videlicet istius musculi, ipseque nervus per musculum dispersus sentiant exquisitè, & in luxatione vehementer distendantur, mirum non est, dolores inde oriri atroces, atque ita urgentes, ut tùm illorum, tum etiam febris excitatæ ratione hominem quandoq; tollant è medio. Nam & convulsiones sæpe superveniunt, & vigiliæ, & prostrata ciborum appetentia. & virium consequitur infirmitas, spiritibus scil. dissipatis, partim etiam à febrili calore consumptis.

QUÆST. V.

Cur liquida quæ sunt, deglutiri interdum à quibusdam non possint: possint autem deglutiri quæ solida & crassa?

EXistimamus, cū actio deglutitionis in ejusmodi casu, quo ad liquidorum usum, sit læsa: affectum aliquem præter naturam in organis deglutoriis latere. Organa autem talia sunt varia: præcipuè lingua, musculi faucium, musculi œsophagæi, & fibræ ejus internæ, quæ rectæ sunt, & externæ, quæ orbiculares. Quando igitur musculi vel linguae, vel faucium, vel gulæ *ἄγλυσι* laborant, fit, ut quæ crassa sunt, & dura, facilius, ægrius contra, aut profus non, liquida deglutiantur. *Ratio est:* quoniam majore facultatis motricis robore, & instrumentis fortioribus indigent liquida, ut comprehendantur ac deturbentur quàm solida, quæ ob substantiæ crassitiem & soliditatem comprehenduntur facilius. Quod si rogetur, quæ causa sit, si fiat contrarium, h. e. cùm solida ægrius, liquida contra facilius deglutiantur? *Resp.* hoc fieri præcipuè ob languorem & imbecillitatem facultatis attractricis, idque œsophagi potissimum ratione, qui aliqua intemperie, humida præsertim, correptus. Tunc namque

que crassa & dura, quia ad motum sunt tardiora & pigriora, non facile attractrici obsequuntur, & proinde difficilius descendunt. Contra, quoniam liquida ad motum parata sunt, facile tractrici virtuti cedunt. Potest etiam causa esse obstructio, coarctatio, exulceratio &c. organorum deglutitioni inservientium.

QUÆST. VI.

Rectene membranula illa, franulum linguæ appellata, avellatur in infantibus?

Solent obstetrices in omnibus infantibus sine ulla discretionem, unguibus membranulam hanc avellere: ratum habentes, quod si relinqueretur, infans loqui non disceret. Verum mos hic & abusus omnino est improbandus. Non enim necessarium hoc est in omnibus, sed in iis saltem, in quibus vero & naturali linguæ ligamento funiculus quidam est adnatus, qui linguæ ad extremum alligatur: quod tamē ex multis millibus vix uni accidit. Cū enim hominis præstantissimæ actiones sint ratio & oratio: certè natura injusta videri non verca posset, si in omnibus partem illam præpeditam condidisset, cuius tamen usu à cæteris distingui animalibus homo deberet. *Causæ autem* cur perperam hoc ab obstetricibus fiat, & propterea à parentibus concedi non debeat, hæ sunt. Primò quia unguibus moliuntur avulsionem illam, qui aliquid in se maligni videntur habere & venenati, propterea quòd qui rasuram eorum biberunt, miris modis vomere cogantur: quodque umbilico appliciti, ventrem solvant. Deinde, quoniam avulsionem illam ineptam & intempestivam plerunque sequuntur linguæ inflammationes, ut postmodum infantes apprehendere pupillas non amplius possint. Unde fit, ut sæpius moriantur.

QUÆST.

QUÆST. VII.

Quamnam ob causam in angina rubeat aliquando sternum & cervix?

Hippocrat. s. 7. aphorism. 49. tumorem & ruborem in pectore supervenientem anginosi bonum prædicit. Rubet autem non tantum sternum, sed & cervix. Sternum quidem, per continuitatem musculorum bronchiorum, qui communes laryngis dicuntur. Hi enim à summo sterno oriuntur, & inferuntur in latera thyroidis. Rubent verò cervicis latera per musculos œsophageos, & colli anterior superiorque pars per continuitatem musculorum, qui ab hyoide orti, in cartilagine[m] thyroidem implantantur. *Ceterum* rubor hic in angina modis fit duobus; uno per *μετάσχεσιν*, i. e. decubitum humoris ab interioribus musculis ad externos: altero per *διήνεσιν*, i. e. propagationem, quando videlicet efferi humoris tanta est copia, ut internos musculos obsideat. Qua distinctione dissentientes Hippocr. loci conciliari poterunt. In prognosticis namque & Coacis, anginam vult salutarem esse, in qua rubent sternum, & cervix: Quibus ait, *unà rubent & fauces, & cervix, & pectus, longiores quidem sunt illa angina: sed maximè ex iis evadunt.* Contra, *sect. 2. l. 2. Epidem.* anginosam mulierem cum rubore colli & pectoris ex utraq; parte quarta die mortem cum vita commutasse testatur. Ex quibus infertur, ruborem in angina, qui fit per decubitum, salutarem: eum verò qui fieri consuevit per *διήνεσιν*, lethalem esse.

QUÆST. VIII.

Quot modis purulenta Empyicorum materia contenta in cavitate Thoracis expurgetur, & per quas vias?

Purulenta Empyicorum materia ex Hippocr. sententia. 4. potissimum modis evacuari solet. 1. per *ἀναγκάθαρσιν*:
B quan-

quando materia hæc motu proprio, validaque thoracis contentione excutientis quod molestum est, excernitur, fitque per arteriam asperam in os. Thorace enim distento, pulmo spongiæ instar effusum pus fugit: eo autem contracto concidens pulmo purulentam materiam in asperas trudit arterias: à quibus per continuitatem ad os fertur, atque ita tussiendo excernitur. Est hæc Naturæ familiaris valde, & expetenda, quoniam non modò fit per loca conferentia, verùm etiam validum robur omniũ facultatum indicat, estq; propria Empyicorum Pleuriticorũ & Peripneumonicorum crìsis, cuius *Hippocrates* diversis in locis mentionẽ facit. *Alter modus fit per πείρροιαν.* Etenim, si Natura ἀναξήθασιν moliri nequit, idque vel ob languorem & imbecillitatem facultatis motricis, vel ob ipsius puris crassitiem, lentorem & visciditatem, alias sibi parat vias, per quas quod sibi noxium sentit, expellit, hinc sæpè per urinas purulentam expurgat illuviem. Atque hic modus excretionis secundo loco est expetendus, quoniam nihil naturæ faceffit negotii: dolore tantùm & stranguria fugaci incommodat. *Tertius modus fit per diarrhoëam*, seu alvi profluvium, quanquam rariùs. Pessima hæc est excretio: quoniam ventriculi ac intestinorum facultatem naturalem labefactat, & dysenteriam causatur penè insanabilem. Meminit hujus *Hippocr. in Coacis* cùm inquit, *Empyicis si pus ducatur à pulmone per album, signum est lethale.* *Quartus expurgationis modus fit per abscessus*, estque itidem salutaris, dummodò fiat per abscessus partium inferiorum. Abscessus enim κατάρροσθ esse debet. *Ceterùm*, cùm ex dictis elucescat, purulentam Empyicorum illuviem juxtà modum excretionis secundum purgari nonnunquã per urinas, haud immeritò quæritur, per quas vias illa ad Renes, urinariosque meatus deveniat? Respondetur ad hoc quæsitum, non omnium qui hac de controversia aliquid literarum monumentis consignârunt, eandem esse sententiam, *Erasistratus* enim putavit, fieri istam expurgationem

nem

nem per dextrum cordis sinum, & venam cavam ad renes, ita quidem, ut pus primò exugatur à pulmonum carne rara & spongiosa : tum à vena arteriosa ducatur in dextrum cordis sinum: ab eo in cavæ truncum, indeque per emulgentes in renes, ureteres & vesicam. Sed falsa hæc est opinio: quoniam nihil per venam arteriosam in dextrum cordis sinum influit, ob valvulas sigmoideas illius vasis, nihilque per venam cavam è corde egreditur, ob valvulas venæ hujus foris intrò spectantes. *Fallopium* existimavit, excretionem hanc fieri per venam illam propè diaphragma ab azygo promanantem, seseque in emulgentem dextram infigentem. Hanc viam, quamvis non neget doctissimus *Andreas Laurentius*, rarum tamen hoc & insuetum esse arbitratur: quia nec hiant venarum oscula in thoracis cavitatem, nec motu ullo agitantur venæ quò pus fugere queant: exudare enim pus crassum viscidumque per tunicas venarum esse difficilimum. *Alii* cœcos occultosq; dicunt expurgationis hujus esse meatus, hac permoti ratione, quòd totum nostrum corpus ex *Hippocratis* sententia sit *σπρρῶν καὶ σμπρῶν*, i. e. conflatile & conspirabile. At licet nec hoc negandum, non tamen confugiendum ad occultos meatus, cum manifesti satis evidenter possint ostendi. Ut igitur quid hac de re statuendum sit, proferamus in apertum, credimus, *Galenus* subscribendum esse sententiæ, qui *lib. 6. de loc. affect.* inquit, pus in thorace collectū exugi à pulmone: ferri in asperam postmodum arteriam: ab hac in sinistram cordis sinum, inde in aortam, tandemque ab hac defluere in arterias emulgentes. *Sed objiciunt nonnulli*, fieri hoc non posse, propterea, quòd loca hæc non sint *σποδέρια*, quòdque à pure hoc transeunte, inquinentur spiritus vitales, quibus impurioribus redditis, syncopen succedere ac leipothymiam, sit necesse. Verum facilis ad hæc est responsio. Aliud quippe est moveri motu critico, aliud symptomatico: aliud fieri naturæ vi & vehementiore nisu, aliud vi & contumacia morbi: aliu

cedere à facultate, aliud ab affectu: aliud deniq; valida, aliud debili & infirma existente virtute. Puris igitur hæc excretio, facta per sinistrum cordis ventriculum, si sit critica, viresque nullam perperæ jacturam, sine ullo ægrotantis fit incommodo. Retinet enim & conservat Natura spiritus ad meliores usus, noxiaque tantum excludit. At verò, si virtus sit prostrata, moritur in ipsa expurgatione æger; eoque post obitum dissecto, totus sinister cordis ventriculus sæpè pure refertus apparet.

QUÆST. IX.

*Quomodo sit intelligendum, quando dicitur,
Cor sapere, pulmones loqui, fel commovere iram, splenem
efficererisum, jecur verò cogere ad amorem
& libidinem?*

Cor sapit, non respectu subjecti: quasi sedes sit & domicilium sapientiæ & intellectus, sed respectu causæ efficientis, nimirum ratione spirituum vitalium, qui in cerebro in animales conversi organa sunt uti sensus & motus, ita & intellectus. Sapit ergò non subjective & formaliter, sed *ἐνεργητικῶς*, virtualiter & effective, quoniam principium est efficiens rationis & prudentiæ, quanquam remotum & mediatum. *Pulmo loquitur*; itidem non per se & subjective, sed respectu materiæ, aëris videlicet, quem ad vocem edendam subministrat, & sine quo nulla formari potest vox. *Fel commovet iram*: quia calidum & siccum, corpusque cholericum reddit, ad cuius temperaturam mores quoque animi sequi est necesse. *Splen ridere facit*: scilicet ex accidente; quoniam causam moeroris & tristitiæ, succum scil. melancholicum ad se trahit, quo postmodum à massa sanguinea remoto, corpus in risum & hilaritatē fit pronum. *Cogit amare jecur*: itidem tanquam causa per accidens: quoniam sanguinem producit, qui feminis est materia. Hoc autem illud est, quod

quod amare cogit homines, tantò quidem impensius, quan-
do ipsum & copiosius extiterit, & acrius atq; mordacius.

QUÆST. X.

*Quæ causa, quòd ii, quibus ventriculus est
debilis & frigidus, palleant?*

A *Υποψία* quotidiana docet, faciem eorum, qui frigidum
debilemque obtinent ventriculum, pallere. Causa est,
quoniam ventriculus malè concoquit, & loco boni lauda-
bilisque chyli cruditates gignit: quæ si ad hepar deducan-
tur, in bonum verti sanguinem non possunt. Vitia enim
primæ concoctionis in secunda perfectè & integrè emendari
nequeunt. Cùm igitur crudus & phlegmaticus sanguis in
hepate generetur, fit, ut illius ratione bonus esse color in fa-
cie nequeat. Vividus enim color spirituum puritatem, san-
guinis bonitatem, & caloris ubertatem postulat. Sanguis
dat ruborem: spiritus & calor splendorem. Qualis ergò hu-
mor latet intus, in corpore, talis color efflorescit incute.

QUÆST. XI.

An vulnera ventriculi lethalia sint

& ἀνεπίμητα?

H *Ippocr. aphor. 18. sect. 6.* aientem defendit. Idem sentit
Celsus l. 5. c. 6. idem *Avicenna l. 4. Canon fen. 4. tr. 1. c. 2.*
Contra *Schenckius l. 3. de part. natural. f. 1.* historias aliquot
ex Medicorum fide dignissimorum monumentis profert,
quibus ventriculi vulnera curata fuisse testatur, quod & ex
recentioribus nonnulli planum faciunt. Proinde vulnera
hæc distinguenda videntur. Et i. *ratione magnitudinis.* Sunt
enim vel parva solum & superficialia, non penetrantia: vel
magna effatuque digna & penetrantia, quæ scilicet usque ad in-
ternam cavitatem pertingunt, vocanturque ab Hippocr.
στάνοπαι. Deinde *ratione loci,* cui sunt inflicta. Vel enim in-

flicta sunt sinistro, vel dextro orificio, vel fundo, vel partibus lateralibus. Juxta primam ergo distinctionem ventriculi vulnera superficialia consolidari posse *Galenus* concedit. Penetrantia verò rarissimè sanari dicit. Causam hujus difficultatis reddit geminam, *Una* est, quia substantia ventriculi membranosa existit. *Altera*: quia ipsi, ut partibus externis, medicamenta imponere minimè licet. Juxta secundam distinctionem periculosissima sunt vulnera magna & penetrantia orificii sinistri: quod à veteribus dictum fuit *καρδια*. *Rationes sunt sequentes.* I. quia insignem habet cum corde & cerebro consensum. II. quoniam ob nervos stomachicos exquisito admodum sensu præditum est. Unde fauciatum acerbè dolet. III. quia remedia illi applicari commodè non possunt. Nam potiones, quæ ejus causâ hauriuntur, statim ad fundum abeunt. IV. quia sedes est appetitus ciborum animalis: ut fundum officina chylificæ, & alimentorum receptaculum: Ideoque vulnerato orificio isto perit appetitus ciborum: ex quo reliquum corpus suo defraudatur genio, & marcescit ac contabescit. V. quoniam gravissima sequuntur symptomata: v. g. leipothymia, syncope, singultus, vomitio crebra, atroces dolores, vigiliæ, extremorum refrigeratio, sudores syncoptici, anorexia, convulsiones. VI. quia pars est nervosa: membranosa, exanguis, & propterea *δυσία*. *Hiscæ vulneribus minus periculosa sunt*, in fundo accepta, idque. I. quia fundum crassius est, & carnosius, & idcirco faciliùs consolidatur. II. quia medicamina vulneraria aliquandiu in eo manent. III. quoniam tanta illius dignitas non est, quanta orificii. IV. quia ejus sensus non est adeò exquisitus ut orificii. *Cur autem omnia in universum ventriculi vulnera, quæ magna sunt & penetrantia, periculosa sint*, partim ex dictis liquet, partim ex seqq. rationibus apparet. I. quia ejus officium toti corpori summè necessarium est: eò quòd *χυλῳσις* sit officina, quæ reliquarum concoctionum est fundamentum. II. quia *Quintus Serenus* ventri-

ventriculum Regi, comparat: cui si benè sit, benè quoq; esse
 reliquo corpori soleat: sin malè, malè etiam reliquum cor-
 pus se habeat. III. quia vulnera ventriculi ob exanguem,
 nervosam, membranosamq; substantiam difficulter conso-
 lidantur. IV. quia si labia vulneris maximè sint conjuncta,
 manere tamen conjuncta non possunt, propter cibum & po-
 tum, qui quotidie assumendus. V. quia medicamenta, quæ
 vulnere adhibentur, ad locum quidem laborantem perve-
 niunt, sed diu in eo non persistunt. Ideoque etiam parum,
 aut nihil efficiunt. VI. quia ventriculus acutè sentit, & cum
 cerebro. corde & hepate, partibus principibus, mirè conspi-
 rat. VII. quoniam illo sauciato, symptomata periculi ple-
 na superveniunt: utpote singultus, vomitio, chyli exitus,
 leipothymia, extremorum frigus. *Queritur autem, quid*
dicendum ad historias, quas Schenckius aliique recentiores
referunt de magnis & penetrantibus ventriculi vulneribus,
quæ sanata fuisse scribunt. Resp. ea inter τὰ δαυμασὰ, &
& quæ rarò eveniunt, reponenda esse: & curationem eorum
natura solertia, virium robori, carnositati ventriculi, fidelita-
ti ac peritiæ Cheirurgi, obedientiæ ægri, & rerum necessaria-
rum affluentia adscribendum esse.

QUÆST. XII.

Cur in Ileo & Colica quandoque & chylus, &
status, & faeces, & noxii humores per superiora rejiciantur, ni-
hilque per inferiora excernatur: ne quidem clysteribus inje-
ctis: cum tamen intestinis fibra adscribantur transversa & or-
biculares: quarum beneficio motus sit peristalticus, contrahen-
tibus scil. sese intestinis supernè deorsum, & noxia
infernè dejicientibus?

R Esp. Causam hujus rei esse motum intestinorum *στει-*
σαλτικόν, sive constrictorium appellatum. Is quippe du-
 plex est: unus *κατὰ φύσιν*, quo infra transmittitur quicquid
 chyli,

chyli, humorum, fæcum, aut etiam flatuum hæret in intestinis, fitque beneficio fibrarum transversalium, sese supernè deorsum contrahentium. *Altero verò* *ἄνω φύσιν* est, *ἢ ἰσχυρῶς* vocatus, quo ordine planè inverso & flatus, & fæces & chylus per superiora rejiciuntur, intestinis sese dictarum fibrarum orbicularium ope infernè sursum colligentibus, ita ut nihil per inferiora queat excerni, ne clysteribus quidem inditis quantumvis acribus- idque vel ob phlegmonem intestinorum ductus coarctantem: vel oppilationem quandam contumacem eosdem penitùs occludentem: vel denique ob levem aliquam & superficialiam exulcerationē. In hac enim irritata intestina sursum amandant quæ sibi nocitura quasi prævident, contractionem præter morem ab inferiore sui parte instituentia. Itaque cum ob causas has enumeratas, chylus, flatus, fæces, noxiiq; humores descēdere nequeant, facultas intestinorum expultrix observato quidem primùm ordine à Natura instituto, à superiore parte contractionem molitur, ut, quod sibi noxium, expellat, hocque semel tentat atque iterum: sed cum nihil queat efficere, ordine planè inverso contractionem ab infernis tanta vi inchoat, ut, quæ continentur in intestinis, per os rejiciantur. Id quòd fieri maximè solet in miserrimo illo affectu, aliàs *volvulus* & *miserere mei* appellato, in quo horrendo cum adstantium aspectu, fæces alvinæ, prægresso priùs singultu per superiora excernuntur, cum subsequente mox laborantis pernicie atque interitu.

QUÆST. XIII.

Cur hepate intumescente diaphragma offendatur: & ab ejus pondere detrahatur?

Item cur tussim siccam in hydropicis causetur. & dyspnoeam excitet?

Hoc fit, quia jecur septo non modo vicinum: verùm etiam

etiam eidem annexum. Unde vel presso lecto, vel deorsum tracto dicta symptomata oriuntur: maximè dyspnœa, quæ sæpè hydropem multis mensibus præcedit: ita ut ægri decumbere non possint, sed in lecto sedere cogantur.

QUÆST. XIV.

Cur quibus lien tumet & distenditur, flatus per abvum vix erumpere queant?

Ratio hujus quæsitæ petitur ex Anatome. Constat enim, colon intestinum esse fœcum flatuumque receptaculum. In confesso quoque est, colon à dextro rene protendi ad jecoris cavum, hinc ad fundum ventriculi, cui etiam annectitur, tum lieni accumbere, & sinistro quoque reni alligari, à quo in posteriora reflectitur, Distento igitur liene, comprimatur colon quoque intestinum, quod ei vicinum, quo compresso fieri nequit, quin flatus postea cohibeantur.

QUÆST. XV.

Quomodo lienosi expurgentur per urinas, & per quos ductus?

Constat, spleneticos & melancholicos sero quam maximè abundare, unde vel sputatores, vel sudatores, vel eructatores, vel urinatores, vel denique crebris obnoxios esse defluxionibus. Docet hoc *divinus senex Hippocr.* qui *lib. 4. de morbis*, succum melancholicum *aquam* nominat, eò quòd non solum multum in se contineat seri, cum frigidus sit, sed & partium primæ & secundæ concoctioni destinatarum calorem adeò infringat, ut fieri non possit, quin inde cruditarum, humorumque serosorum proventus oriatur uberior. Confirmat quoque hoc ipsum partim ratio, partim verò experientia. *Ratio quidem*, quoniam melancholia humor est valdè crassus, cui propterea serum debuit permisceri, ut il-

C lum

tum diueret. eique esset vehiculum, quo meatus subire
 possit angustiores. *Experientia* verò ostendit, quartanarios
 solitis paroxysmis febrilibus nulli ferè vacuationis generi
 magis patere, quàm sudoribus. *Quòd deinde* eadem melan-
 cholia per urinas purgetur, inde elucet: quoniam *Hippocrat.*
l. de intern. affect. lienosis præscribit diuretica: & *Galen. l. 2.*
ad Glaucon. quartanarios curat diureticis: quòdque urinæ
 nigrae eidem notæ sint colliquati lienis: fueritque observa-
 tum à quibusdam, lienosos quamplurimos urinarum nigri-
 cantiū larga profusione sanatos esse. De $\pi\delta\ \delta\pi$ ergò dubium
 est nullum. Sed per quos ductus inquires? Dicunt non-
 nulli serum hoc à liene remeare ad ramum splenicum: ab
 hoc ad venam portæ: dehinc ad cavam: inde ad emulgentes.
 Sed iter valde distans est. Breviorem viam monstrat doctis-
 simus *Laurentius*, cuius subscribimus sententiæ Putat per ar-
 terias potiusquàm per venas expurgari serū lienis. Sic enim
 breviori & patentiore ductu à liene ad arteriam emulgen-
 tem credit vacuari posse humorem melancholicum.

QUÆST. XVI.

*Qui fiat, quòd tam mirabilis novæ inter-
 cedat utero cum mammis?*

Mirabilem duarum istarum partium conspirationem ef-
 fe, multis indiciis probari potest firmissimè. Nam exte-
 nuatio mammarum in gravidis abortum portendit, *aphor. 37.*
sect. 5. Maris quidem, si dextra mamma extenuata sit: foe-
 minæ verò, si sinistra: *aphor. 38. sect. 5.* quia mares dextra
 uteri parte: foeminæ sinistra magis gestantur: *aphor. 48.*
sect. 5. Lactis præsentia in muliere, quæ nec prægnans est,
 nec puerpera, suppressionis menstruorum est indicium, *aph.*
39. sect. 5. Sanguis pravus ob mensium retentionem p. n. in
 mammis collectus, maniam significat: *aphor. 40. sect. 5.* La-
 ctis è mammis gravidarum copiosior effluxus imbecillita-
 tem

rem foetus arguit, *aphorif. 52. sect. 5.* Firmitas & soliditas
mammarum in gravidis foetum bene valere testatur *aphorif.*
eodem. Extenuatio mammarum in gravidis futuri abortus
nuncia est: Durities vero dolorem aut ad mammas, aut co-
xas, aut oculos, aut genua praemonstrat: *aphorism. 53. sect. 5.*
Lactis apparitio in mammis gravidarum signum est foetus
jam perfecti & absoluti: teste *Galeno l. 14. de usu part. cap. 4.*
Indicat enim, foetum jam ita se habere, ut moveri possit.
Id quod maribus secundum Hippocr. *l. de nat. pueri*, men-
se tertio: foeminis vero, quarto contingit. Paritas mam-
marum in gravidis paritatem infantis, ejusque adhuc auge-
scentis, nec non matricis exiguitatem prodit. Frequen-
tissima insuper humorum est ^{utrisque} ex mammis in u-
terum; & rursus ex utero in mammas, quemadmodum
Hippocr. inter alia lib. de glandulis docet. Quo etiam il-
lud spectat, quod *Galenus l. 14. de usu part. cap. 4.* tradit, si-
num scil. uteri numerus, quem non sine admiratione na-
turam mamillis aequalem fecisse scribit. Item, quod
mammae blandè leniterque contrectatae libidinem exci-
rent. *Hac sane*, & similia alia stupendum mammarum
& uteri consensum adeo confirmant, ut $\pi \delta \pi$ nullatenus ver-
setur in dubio: sed de $\tau \delta \pi \delta \pi$, hoc est, causa istius consen-
sus laborandum videatur. Eam vero, vel in viciniam: vel
in generis, sive substantiae similitudinem: vel in vasorum
communione & societate referendam censemus. Ve-
rum *vicinia* quidem hujus consensûs causa statui non po-
test: quoniam uterus notabili intervallo à mammis di-
stat. *Neque generis similitudo* illius est causa, quia uterus
corpus est membranofum, frigidum, & exangue: mammae
vero ex glandulosis constitutae sunt corporibus, quae car-
nis sunt species. Superest ergo, ut consensûs istius, *vasorum*
societatem esse credamus, quam & *Galenus lib. de venar. &*
arteriar. dissect. cap. 5. & 8. agnoscit, ubi idem planè dicit,

quod recentiores Anatomici, quando de rectis Abdominis musculis agunt, monent. Ajunt enim, per internam rectorum musculorum partem venarum duarum propagine excurrere: epigastricæ scilicet & mammariæ. Et epigastricam quidem sursum per epigastrii musculos: mammariam autem deorsum per internam sterni partem, triangularemque musculum ferri. Ramos verò epigastricæ, qui rectoros attingunt musculos, sub facie illorum interna cum ramis mammariæ circa umbilicum per ἀναστωμώσεις conjugunt: & ex mutua harum venarum exosculatione fieri, ut transitus ab utero ad mammas, & vice versa ab his ad illum pateat: miraque συμπάθεια utrarumque partium existat. Hanc Galeni sententiam plerique Anatomici, excepto tamen Laurentio, receperunt: qui tamen non prorsus eam damnat: sed duntaxat suspectam quodammodo habet: seqq. de causis. I. quia vasa hæc, quæ sub rectis abdominis musculis exosculari se dicuntur, etiam in viris reperiuntur. Ex quo concluditur, nutritionis tantum causam sursum ferri. II. quia epigastrica vena sæpè ab iliaco descendente cavæ ramo, sæpissimè à crurali propagatur: ad uterum verò minimè fertur. Mammaria autem à ramo ascendente cavæ, quem subclavium nominant, oritur: mammas autem neutiquam attingit: nisi fortassis capillari, & ferè insensibili ramo. Unde nescire se scribit, qua ratione mammariæ sibi nomen vendicavit, cum mammæ venas habeant amplissimas, quæ à thoracis derivantur. Putat ergo, posse quidem per vasa commemorata aliquem esse consensum: cum juxtà Hippocr. doctrinam, omnia in humano corpore conspirent, confluant, atque consentiant: patentiores tamen, breviores, magisque conspicuos mirabilis uteri & mammarum κοινωρίας ductus agnoscit, nimirum venas quasdam internas. Anatome namque docet, à ramo venæ cavæ axillari, insignes ferri ad utramque mammam furculos: ad uterum

rum verò innumeras à spermatico & hypogastrico cava-
ramo propagines distribui. Quare verisimilius esse dicit
quòd per internas illas, insignesque venas humores à mani-
mis ad uterum, & ab utero ad mammas refluant. Nam,
quando sanguis v. gr. ab utero ad mammas concedit, o-
mnium primò per hypogastricam aut spermaticam venam,
quæ utero peculiare sunt, transit ad truncum venæ cavæ.
2. à trunco cavæ migrat in ramum axillarem. 3. ab axilla-
ri in thoracicas, quæ insignes sunt, & tùm musculis pecto-
ralibus, tùm glandosis mammarum corporibus tributæ,
meat. Contrà, cùm sanguis, lac, aliufve humor à mam-
mis ad uterum se confert, primùm à thoracis venis regur-
gitat in axillares: ab his in truncum venæ cavæ descenden-
tem: à quo per spermaticum ramum in uterum: per hy-
pogastricum verò nunc in uterum, nunc in vesicam abit:
unde lacteæ aliquando urinæ post partum funduntur.
Nam vesica ab hypogastrica vena ramulos accipit. Quan-
vis *Laurentius* minimè neget, quin lactis expurgatio etiam ad
renes & vesicam, per emulgentes venas fieri queat.

QUÆST. XVII.

*Cur unum intestinum rectum ex omnibus
abdominis, imò totius corporis partibus, hoc habeat parti-
culare: ut à jecore duplicem venam obtinuerit? ra-
mum scil. à vena porta, & tres à vena
cava?*

Resp. In causa esse duplicem hujus intestini substantiam:
musculosam scil. & membranofam: quarum cùm hæc
crassiorem sanguinem requirat, qualis est is, qui in vena por-
tæ cōtinetur: illa verò magis elaboratum, qualis est venæ ca-
væ: ideoque ad nutriendam recti intestini substantiam dela-

his rursus a vena venari: a vena vero cava rami lites ad
nutritionem musculorum intestini

QUÆST. XVIII.

*Num pingues & obesi βραχυβιώτεροι
sint gracilibus?*

ITa sentire videtur *Hippocrat. aphorism. 44. sect. 2.* cum
inquit, *Qui naturâ sunt valdè crassi, breviorè vita fruun-
tur, quàm qui graciles.* Ad cuius sententiæ confirmatio-
nem suum quoque adscribit calculum *Galenus* in comm.
quando dicit, optimum esse, benè esse carnosum, h. e. ne-
que valdè crassum, neque admodùm gracilem. Excessum
tamen in crassitie deteriore existere, quàm in gracilitate.
Hinc asserit, quòd graciles ad longam perveniant senectam,
proptereà quòd venas sortiti sint largas admodùm & am-
plas, multumque in iis contineant sanguinis, spiritus & ca-
loris: hoc solùm habeant incommodi, quòd promptè à causis
evidentibus atque externis offendantur, cum nullum foris
habeant munimentum. Obesi contrà venas & arterias ha-
beant angustas, ac proptereà paucum sanguinem, paucos
spiritus, exiguumq; admodùm calorem, adeo, ut cum ætate
processerint, celeriter in ipsis, etiam levi de causa, calor
nativus destruat. Addit tamen, *Hippocratem* distingue-
re inter crassitiem & gracilitatem. Aliam enim crassitiem
dicit nativam, & à primo statim ortu contractam: aliam
verò adventitiam, victu & pleniore, & delicatiore introdu-
ctam. Gracilitatem quoque aliam nativam facit à calidi-
tate & siccitate corporis, cutisque raritate proveniente:
aliam vero morbosam statuit, qualis solet esse tabidorum,
hecticorum: & qui longis aut acutis morbis laborarunt.
Quando ergò confert inter se naturâ crassos cum naturâ
graci-

gracilibus, inquit, quòd illi brevioris sint ævi, non solùm ob causas enumeratas, verùm etiam propter cutis densitatem, quæ efficit, ut tales putridis febribus sint magis obnoxii. Retinentur enim ob densitatem fuliginosa excrementa, : quæ postea humores in venis contentos corrumpunt. Quam ad rem plurimum etiam facit venarum angustia, quæ cum facilè obstruantur, mirum non est, quin ob ortam inde humorum putredinem, febres putridæ, & ut *Celsus* ait, dispnoeæ, & suffocationes generentur. Secus verò se habent, qui naturâ sunt graciles; ex quibus tamen testante *Galeno* vivacissimi sunt, qui *ευσαρκοι*, quadrati, *πολύσαρκοι*, corpulenti & carnosissimi.

F I N I S.



Strassburg, Diss., 1663-64

ULB Halle 3
002 275 287




f

Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

...ATIO
...BENS
...EMATA
...M ANA-
...ICA,
...m
...RCHIATRO
...ESTI
...RAMINE
...TI SEBIZII,
...DOCTORIS ET
...ORDINARIJ,
...e Patroni omni obser-
...lendi
...ICE
...tuebitur
...HAMMERER,
...ATENSIS.
...is Decembr. Jan.
...ORATI,
...DELII ACADE-
...GRAPHI.
...LXIV.

30
29
1664/13
1